



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sit simplex, humilis confesio. pura, fidelis, Atque frequens, nuda, discreta, libens, vereconda, Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata. Fortis et accusans, et sit parere parata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*- Sacramentalis confessio multas ex parte  
confitentis præsupponit conditiones.*

**C**onfessio sacramentalis, ex parte confitentis, potest defectibus subiacere: quoniam multas exigit conditiones, quæ his versibus continentur.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*

*Atque frequens, nuda, discreta, libens,  
vereconda, (ta.*

*Integra, secreta, lacrimabilis, accelera-*

*Fortis et accusans, et sit parere parata.*

Quas, quoniam libellus iste propter confessionem fit, declarare intendimus.

Prima ergo conditio est, ut confessio sit simplex, hoc est non composita. Esset autem composita, quando artificiosè narrantur commissa: ita ut vera quidem dicantur, sed ea arte ut vel non ponderentur à confessore, vel delectent suauitate vanæ eloquentiæ: hoc enim manifestum peccatum contineret.

Secunda, humilis: quantum ad intellectum; recognoscendo se miserum peccatorem, & indignum venia. quantum ad affectum, affectando per subiectionem qua confitendo se subiecit confessori, subiceret se ipsum intus diuino iudicio, non in furore, sed in iustitia Iesu Christi crucifixi propter nos: quantum ad linguam in modo etiam loquendi, ut exponat sua peccata, ut reus cum reuerentia & tremore quasi coram Christo, quantum ad actus exteriores, ut genuflexus omnis vtriusque sexus, & capite (si sanitas patitur) disco operto vir consteatur ob reuerentiam Christi & sacramenti. Omissio siquidem cuiuscunque horum sine peccato non est; nisi causa ratio-  
nabilis

habilis ab exterioribus excuset reuerentiis.

Tertia, pura: hoc est non mista in pertinentibus ad peccata propria: peccat enim saltem peccato vaniloquii, qui alia immiscet, ultra irreuerentiam quam ex huiusmodi admittione exhibet tanto misterio. Et magis debet esse pura ab admittione alienorum peccatorum, si propria possunt sine alienis sufficienter exprimi. Quod si aliter fieri nequit, & confessor vir est bonus (ita quod nulla sit suspicio: futuræ infamiæ aut cuiuscunque periculi) explicari potest. Vbi autem periculum famæ alienæ vel alterius mali timeretur, confessor alter ad eundem est, qui confitentem non noscat: aut ipse confitens obuolutus seu transformatus vadat ad confessorem qui ex voce eum non discernat: & tacito suo nomine dicat, Ego peccator potens confiteri, tibi dico meam culpam &c. Non enim tenetur pœnitens manifestare, seipsum quis est, nisi quantum ad ea quæ sunt necessaria ad sacramentum hoc: ad quod nõ oportet scire quo nomine vocatur, nec ubi habitat, nec si est coniugatus, si contra matrimonium non offendit, nec de qua patria aut parochia est, nisi vt sciatur si potest hic confessor illum audire & absoluere. Et ad hoc sufficit vt pœnitens dicat, vel quod ipse potest sibi eligere confessorem, vel quod habet licentiam à suo superiore, vel quod sciat quod potest ipsum absoluere sicut illos de illa dicecesi seu parochia si curatus est confessor. Quod si nihil horum fieri possit, vtendū esset regula de nõ habente copiam confessoris quo ad illam circumstantiã: quia confessio cum aliena iactura non debet esse: & potest confitendo omnia peccata & illud absque illa circumstantia absolui. Et hoc dico, si differri non potest confessio: pura quia oportet communicare aut celebrare, iuxta dicenda inferius in decima conditione.

Quarta, fidelis: hoc est verax, Mentiri siquidem

in confessione per se (hoc est de pertinentibus ad cō-  
 fessionem) est peccatum mortale: quia est mendaciū  
 perniciosum: quia est mendacium in iudicio, non  
 qualicumque, sed sacramentali. Et licet peius sit men-  
 tiri de aliquo mortali, tamen mentiri quoque de ve-  
 niali, perniciosum est. Et hoc intellige cum grauo fa-  
 lis: scilicet supposito quod pœnitens subiiciat se con-  
 fessionem quod ad illa venialia: quoniam ex hoc ipso  
 quod pœnitens assumit veniale illud vt materiā con-  
 fessionis, facit illius confessionem materiā sacramē-  
 ti & iudicii, ac per hoc tenetur facere illum confiten-  
 di actum veracem, alioquin iniuriam infert sacramē-  
 to & iudicio, tollens quantum in se est, vtriusque ve-  
 racitatem: quod constat esse mortale. Sicut supradic-  
 ator assumat vt materiā prædicationis: aliquod  
 miraculum, vel aliquod gestum alicuius viri sancti  
 mortaliter peccat si mentiatur: quamuis gestum illud  
 seu miraculum non spectet secundum se ad prædica-  
 tionis necessitatem. Ex hoc enim ipso quod assumi-  
 tur vt materia prædicationis, nascitur, vt mendacium  
 de illo in actu prædicandi sit perniciosum: quia quan-  
 tum in se est, eneruat veracitatē prædicationis. Vnde  
 si pœnitens confitendo mentitur se commississe ali-  
 quod veniale, peccat mortaliter: quia mentitur in iu-  
 dicio: & propterea iniuriam facit iudici, & in propo-  
 sito, Christi vices gerenti. Si autem pœnitens non in-  
 tendat confiteri nisi de peccatis mortalibus, & inter-  
 rogatus à confessore de aliquo veniali, negando men-  
 titur ea ratione quia non vult de illo peccato confi-  
 teri: peccat quidem, sed nō mortaliter, quia non men-  
 titur de pertinentibus ad iudicium, ac per hoc non  
 mentitur in iudicio. Et similiter si intenderet confite-  
 ri de illo, & præ verecundia negaret mutans volunta-  
 tem confitendi de illo, vtpotē quia non tenetur de il-  
 lo confiteri, non mentiretur in iudicio. Memento ta-

men

men confessionis iudicio non subdi quæcunque imper-  
 pertinentia sunt ad peccata: & propterea de imperti-  
 nentibus mentiri in cōfessione, non est perniciosum.  
 Ad veritatem quoque confessionis spectat ut peccata  
 quorum quis plenam memoriam non habet, sed pro-  
 dubiis habet ut dubia confiteatur, non ut certa asse-  
 rat, nec quasi nulla omitat: sed talem se narret ore,  
 qualis est in corde: puta, videtur mihi quod in tale  
 quid consenserim, non tamen sum certus. Aduerte  
 hic quod quum mentiri requirat non solum falsam  
 vocis significationem, sed etiam intentionem fallen-  
 di: si persona confitens putat se benefacere falso ac-  
 cuset se commisse aliquod veniale, vel affirmet ali-  
 quam circumstantiam, vel aliquod peccatum dubium  
 pro certo, non ea ratione ut mentiatur, aut ut fallat  
 confessorem, sed tanquam putans se eligere tutiorem  
 partem volendo se facere reum etiam si non esset  
 reus, errat quidem & peccat: quia à recta discedit ra-  
 tione: quia tamen non dicit mendacium, sed falsum,  
 non peccat mortaliter, sed venialiter: utpote indiscre-  
 tē se accusans.

Quinta, frequens: hoc est, ut qui frequenter ca-  
 dit, frequenter confiteatur. Et est medicina hæc val-  
 de conseruatiua hominis in timore Dei. Non inue-  
 nio tamen præceptum de maiori frequentia quàm  
 semel in anno: si tamen potest dici frequentia. Et li-  
 cet præceptum per se non inueniatur: interroget ta-  
 men seipsum quilibet Christianus, quantum detri-  
 menti in anima patitur ex tam rara cōfessione, quod  
 euitaret, si frequenter confiteretur: & inde percipiat  
 si per accidens (hoc est propter tollendas occasiones  
 obliuionum peccatorum, & infirmitatum, seu con-  
 suetudinum in peccando) debeat frequentius confi-  
 teri. Confiteri autem frequenter eadem peccata, &  
 laudabile & vituperabile quandoque est. Nam ex

E

scrupulosa

## 66 Confessio.

scrupulosa & inquieta phantasia cadere in conscientiam iterandæ & reiterandæ pluries confessionis, vituperabile est: quoniam procuranda est pax animæ & conscientiæ, quæ cum huiusmodi iterationibus non stat. Et quando hoc accidit in veritate, deberet talis postquam semel ita confessus est & absolutus, vt tam ipse, quàm confessor doctus sufficientem iudicet confessionem, quiescere: & si postea scrupulus aliquis occurrit de aliquo tanquàm à non confessio, si sibi videtur quòd fuerit confessus, quiescat, & non amplius confiteatur. Nec propterea exponit se iste periculo, quia non est certus se esse confessum: quoniam hoc reputandum est huic bono viro infirmo vt certum, quod apud alium esset opinio. Est enim passio hæc infirmitas corporalis tollens seu impediens pro tunc firmitatē iudicii: & timor & motus phantasiæ in tantum operantur, vt nisi quiescat, consurgunt tot ambigua, vt nunquàm videatur confessus. Cuius signum est, & quòd idem centies confitentur, & quòd isti semper in dubium redeunt confessionis, quum fortè diligentius cæteris confessi fuerint. Nec est in potestate talis, retinere motum phantasiæ, nisi in principio comprimatur: vnde sequuntur pericula corporis & animæ ad tollendum vel impediendum vtriusque bona. Dixi autem in veritate, propter personas iterantes confessiones, non quòd in veritate scrupulosæ sint, sed quia nunquàm in veritate confitentur: ita quòd semper confitentur, & nunquàm sunt confessæ: tanquam dæmones semper poenitentes, & nunquam se corrigentes. Confiteri autem ex deuotione pluries eadem peccata cum conscientia quieta, sine molestia confessorum, non conterendo in hoc tempus in aliis magis piis aut vtilibus expendendum, & breuiter seruatis prudentiæ conditionibus, laudabile est. Sexta, nuda; hoc est non vestita

coles

coloribus aut locis cooperientibus grauitatem peccati: & multò minus obscurantibus peccatum: vt vel non percipiatur ( hoc enim esset non confiteri ) vel minus consideretur grauitas aut turpitudine peccati.

Ad cuius oppositum recta tendit confessio, expectando iustum iudicium à Christi vices gerente, propterea manifestè peccatur. Septima discreta: hoc est prudens. Et quantum ad verba: vt honestis vocabulis explicet sua peccata. Et quantum ad circumstantias: vt non nisi necessarias in peccatis carnis explicet, si scit discernere necessarias à non necessariis. Et quantum ad modum narrandi: vt quæ simul expriri possunt, non diuisim dicantur, aut econtra, verbigratia, potest dici, Commisi furtum decies: non dicatur. Semel furatus sum, & deinde iterum furatus sum, & post comisi vnum aliud furtum, &c. Hoc enim & indiscretè confiteri, & tædio afficere confessorem, & propterea vt discreta sit confessio, debet confessurus præmeditari & præordinare quomodo dicet, & quæ simul, & quæ diuisim, &c. Et quantum ad quærendum idoneum confessorem: non enim tute quisque potest se credere cuilibet confessori occurrenti. quoniam multa apparet multitudo confessorum ignorantium, &c. sed debet quærere idoneum scientia & auctoritate: & bonum: hoc est qui credatur esse in Dei gratia. De quibus cōfessoris conditionibus infra erit sermo. Nisi enim discreta fuerit confessio constat peccatum saltem imprudentiæ incurri.

Octaua, libens, hoc est non ex metu pœnæ, sed ex amore sanitatis animæ: sic enim propriè voluntaria est confessio. Et quia timor introducit charitatem sicut serua filium: ad minorem spectat deuotionē, præparationem seu dispositionem, quòd aliquis malè habenter confitetur: ex quo tamē vincit seipsum & confitetur: sufficit ad salutem imperfectorum. Nona. vt

recunda: hoc est erubescens apud se metipsum poenitentem, dum non solum ad memoriam, sed verba reuocatur turpitudine sceleratęque proprię animę. Erubescens quoque apud confessorem, hoc est non quasi iactando, non quasi narrando historiam, sed æstimando turpitudinem peccatorum suorum confiteatur per modum erubescens propriam turpitudinē. Verecundia autem proprię dicta (hoc est timor opprobrii, id est defectuosi inde haberi à confessore) passio concomitans est: quę ex Dei gratia imputatur ad partem satisfactionis, si pro Dei amore amplectendo superatur.

Decima, integra: quantum ad peccata mortalia, aliis non confessa tam certa, quàm dubia, & eorum circumstantias necessarias. Confessio enim non integra non est confessio, quę est materia sacramenti poenitentię, sed confessionis simulatio: quia ex propria ratione repugnat sacramenti formę, hoc est absolutioni. Impium est enim à Deo dimidiam sperare veniam. Dupliciter autem contingit confessionem non esse integram, vel per se vel per accidens. Tunc est confessio per se non integra, quando ex intentione, seu voluntarię dimidiatur, & sic, truncata confessio non valet: imò est nouum peccatum mortale sacrilegii contra sacramentum poenitentię. Tunc autem confessio est non integra per accidens, quando non voluntarię dimidiatur, puta quia per obliuionem relinquitur aliquod quod necessariò fuisset confitendum: & confessio sic non integra valet: quoniam est per se & formaliter integra, & per accidens ac materialiter dimidiata: actus autem iudicandi sunt formaliter & per se, & nõ per accidens & materialiter. Opus est autem hic non paruo sensu, ad discernendum in singularibus si per se aut per accidens confessio ab integritate recedat: quia multipliciter vtrunque euenire

nire



nre potest. Dimidiatur siquidem confessio per se & formaliter vel directè, vt quum intendit confitens facere aliquod necessarium: siue hoc occasione habeat ex verecundia, siue ex pusillanimitate, siue ex quacunque alia illicita causa. Vel indirectè: vt quum confitens negligit discutere conscientiam suam, parui faciens in suo affectu, aut valde notabiliter in affectu, si aliquid necessarium confessioni omittatur. Tunc enim reddit actus in naturam suæ formæ, & perinde est ac si formaliter fuisset intentus: quia sicut actus virtuosus est non solum qui centrum attingit, sed etiam qui prope centrum: ita non solum vitiosus est qui directè intendit formam vitii: sed qui prope illam ex obliquo intendit. Clarè siquidem liquet, quòd qui tam parum curat de integritate confessionis, vt vel in affectu paruifaciat si non sit integra, vel in effectu, hoc est in actu discutiendi ita se habeat, ac si paruifaceret integritatem (hoc enim est valde notabiliter in effectu) tendit ad dimidiandam confessionem, tanquam per se & formaliter dimidians, & propterea vtroque modo dimidiatio est perniciofa, & facit confessionem non valere. Dimidiatur quoque per accidens & materialiter tantum confessio vel ex obliuione, vel ex insufficiente discussione, quamuis diligenter (siue hoc contingat ex ignorantia iuris siue facti, & breuiter quomodocunque contingat præter intentionem confitentis, facta iuxta conditionem suam diligentia: ita vt verè credat se diligenter confiteri. Nam tunc constat confessionem non esse per se dimidiatam nec ex propinquo affectu, ad formam dimidiatè reduci) vel quia ordinarius confessor superior non audit nisi confessionem casuum reseruatorum. Confessio siquidem illa qua quis habens multa mortalia, confitetur Episcopo vel eius vicario vnum mortale reseruatam, est confessio non integra, ac per accidens & materialiter

ter quia non ex voluntate poenitentis prouenit non integritas, sed ex parte talis confessoris reseruantis, &c. Et propterea huiusmodi confessio quamuis non integra, sancta est: sic namque sanctæ matris Ecclesiæ usus habet, nec oportet sapere plus quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Caue autem ne erres, dicendo absolutionem illam quam intendit Episcopus huiusmodi peccatis non esse sacramentalem. Ex hoc namque quod confessio illa partialis est sacramentalis (quod patet, & ex eo quod sigillum confessionis illius est sacramentale: potest enim Episcopus sicut quilibet confessor, iurare se nihil scire, & ex eo quod aliter poenitentes essent de lusi: quia non intendunt nisi confiteri, nec tenentur nisi confessione sacramentali ire ad Episcopum) consequens necessario est, ut absolutio quoque sit sacramentalis: nec est hoc verendum in dubium.

Nota diligenter hic ex hoc usu Ecclesiæ haberi miranda, scilicet quod aliqua confessio non integra aduertenter, est salutaris, & quod aliquod peccatum est quandoque bis confitendum quia poenitens debet proprio sacerdoti, non sacerdotibus, omnia sua peccata integre confiteri, de poeniten. & remis omnis vtriusque sexus. & nihilominus tenetur confiteri reseruatum peccatum Episcopo, si non confert auctoritatem proprio sacerdoti, vtrunq; autem horum desinit esse mirabile, considerantibus vtrunq; euenire per accidens. Confessio namque suapte natura debet esse integra, ac per hoc vni sacerdoti: alioquin non esset confessio, sed confessiones. sed quoniam per accidens est, quod sacerdos iste cui hic confitetur, non habet potestatem absoluendi ipsum ab omnibus quæ commisit, ideo per accidens & peccatum reseruatum huic confessum, reconfitendum est Episcopo: & confessio partialis euenit salutifera. Ultra prædictos autem

tres

tres modos quibus confessio per accidens non integra inuenitur, quartus quoque est, quo etiam per accidens non integra admittitur confessio: quum quis non potest explicite confiteri peccatum suum absque reuelatione confessionis, vel absque periculo famæ, vel vitæ alienæ. Tunc enim aut differat confessionem vsquequo confessor habeatur absque huiusmodi sequelis (quoniam perinde, se habet ac si non haberet copiam confessoris: quia non reputatur confessor, qui non potest omnia audire) aut si opus fuerit confiteatur tam reliquis explicite, illud seu illius circumstantiam implicite, cum animo confitendi explicite de hoc, quum copia confessoris ad hoc idonei erit. Et tunc confessio ista esset non integra per accidens: quia non ex intentione poenitentis, sed ex carentia confessoris integri. Hanc doctrinam ego non approbarem, nisi viderem in supradicto Ecclesiæ vsu confessionem non integram per accidens quandoque admitti & rationem suffragari: quia est per accidens non integra: meliusque videtur prouideri conscientis communicantium, si sic confiteantur, quam si communicent dilata tota confessione.

Mementote hic ponere in practicam ea quæ diximus in tertia conditione confessionis de occultato habitu, si fieri potest, antequam præcipites sententiam, quòd deficit confessor integre potens omnia audire.

Vndecima, secreta: exclusione internuntii, epistolæ & testis. Ex eo enim quòd confessio fit sacerdoti in persona Dei, excluduntur testes: ex eo verò quòd sacramentalis tam actio quàm passio personalis est, excluduntur tam epistolæ quam internuntii. Monstrat autem hoc veritas formæ sacramentalis quæ dicitur, Absoluto te: nam ly te demonstrat presentem personam: sicut in cõsecratione Eucharistiæ ly hoc demonstrat

contentum sub presenti hostia, & propterea non potest quis sacramentum poenitentiae per procuratorem suscipere: nec per scripturam: sicut non potest baptizari quis per procuratorem, nec per scripturam. Verum aduerte hic perspicaciter duo. Primò, quò ad confessionem per interpretem, quòd licet in casu quo non propria lingua intelligitur, possit fieri confessio per interpretem: non tamen tenetur aliquis ad hunc modum confitendi: quia non tenetur nisi sacerdoti confiteri per se ipsum: & tãtò minus, quãtò interpres quum non se teneat ex parte sacerdotis cui vt Deo peccata reuelantur, sed ex parte poenitentis, ex cuius ore loquitur, non tenetur sigillo confessionis propriè dicto, sed sigillo fidelitatis tenere secreta confitentis peccata. Secundò, quò ad scripturam, quòd licet mutus non valens signis confiteri, possit per scripturam poenitentialiter manifestare sua peccata, non tamen tenetur ad hunc modum confitendi: quia scriptura ex sui natura est publica: confessio autem ex sui natura est secreta. Et si fiat poenitentialiter debet poenitens tenere scripturam in manibus suis, & non tradere in libertatem confessoris, vt sic minus habeat de publico. Habere autem peccata scripta ad succurrendum memoriæ confitentis, & ex scripturæ lectione confiteri, laudabile est adminiculum humanæ memoriæ ad integrè confitendum. Absolutio autem nullo pacto potest fieri in scriptis tãtùm, & si fiat, siue in presentia, siue in absentia, nulla est: sicut si verba formæ Eucharistiæ aut baptismi in scriptis propo sãta sint, nihil operantur ad sacramentum.

Expedit autem aduerte, quòd mutus à natiuitate confiteri tenetur per nutus & signa, vt melius potest. Is autem qui postea factus est mutus, si scit legere tenetur confiteri modo quo potest. Potest autem sine periculo vllò publici signi confiteri hoc modo, vt

habeat

habeat vnum folium, in quo sint à quocunque scri-  
pta nomina omnium specierum peccatorum morta-  
lium, & circumstantiarum necessariorum, & vnum  
aliud in quo sint numeri: & rursus habeat aliquas  
schedulas: in vna contineatur, commisi, in alia, æsti-  
mo seu credo: in alia dubito: in alia, non recordor. Et  
sic posset completè confiteri, monstrando digito in  
folio peccatum de quo remordet ipsum conscientia,  
& similiter eius circumstantiam, & similiter numerum,  
& si est numerus non certus, sed æstimatus, potest si-  
mul monstrando numerum monstrare schedulam,  
æstimo. Et iuxta hunc modum etiam si inter loquen-  
dum subito moreretur, nulla potest sequi manifesta-  
tio cuiusque peccati, vt clarè patet. Et propterea non  
excusaretur à præcepto confitendi mutus negligens  
sic, vel alio modo confiteri, si per nutus impotens est  
confessionem perficere integram. Duodecima, la-  
chrymabilis: hoc est contrita: hoc est cum displicen-  
tia omnium peccatorum mortalium commissorum  
supra omne odibile, & cum proposito vitandi omne  
peccatum mortale supra omne vitabile. Has enim  
duas condiciones exigit contritio humana: alioquin  
contritio non est. Verùm quia de contritione in or-  
dine ad confessionem præsens est doctrina, scito mul-  
tipliciter admitte confessionem pro lachrymabili. In  
primo gradu lachrymarum sunt consistentes cum ve-  
ra contritione: hoc est humana, formata charitate:  
imitantes illum qui ait, Dixi, confitebor aduersum me  
iniustitiam meam domino, & tu remisisti impieta-  
tem peccati mei, & illam de qua dictum est: Dimissa  
sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. In  
secundo gradu sunt consistentes verè contriti contri-  
tione humana: qui sicut nihil sibi conticii sunt, ita nec  
olei in propriis vasis sunt conscii, exeuntes obuiam  
sponso & sponsæ. Et hos credimus fieri de attritis  
E s                      contri-

contritos contritione formata virtute clauium: iter  
quòd si contingit hos confiteri informes, absoluti ta-  
men formati regulariter sunt. In tertio gradu sunt  
confitentes cum attritione quidem laudabili, contri-  
tione autem ambigua. Et hi sunt tam illi qui dicunt  
displicere sibi offensas patratas in Deum, & intende-  
re in futurum cauere à peccatis mortalibus secundum  
posse suum, quàm illi qui ita se habent ad Deum cõ-  
fitendo, sicut se habent ad homines maiores offensas  
quum petunt veniam dicentes. Displicet mihi quod  
te offendi, amplius te non offendã, parce mihi. Vtri-  
que enim dolent de præterito, & intendunt vitare in  
futurum. Sed quoniam potest animus eorum dupli-  
citer esse affectus (vel ita vt virtualiter intendant pec-  
cata vitare supra omne vitabile, & similiter quod vir-  
tualiter displiceat eis mortale commissum supra om-  
ne odibile: vel ita vt virtualiter non se extendat ad  
hæc: quia nec dilectio Dei acquisita seu humana tan-  
tum dominatur in corde, vt præponat verè Dei a-  
morem & obedientiam omnibus delectabilibus, ho-  
norabilibus, & vtilibus) ideo dubia est horum cõtritio.  
Nam si primo modo sunt affecti, essent contritione  
saltem humana: si verò secundo modo non essent  
etiam humana contritione contriti. Vtrorumque ta-  
men confessio ab Ecclesia vt lachrymabilis admitti-  
tur: non audeo tamen dicere, quod vltimo modo di-  
spositi regulariter fiant virtute clauium de attritis cõ-  
triti. Non sunt autem pœnitentes in tentatione præ-  
cipitandi: à confessore nimis zelante, & imprudenter  
inuestigante, an displiceant sibi cõmissa supra omne  
odibile in particulari, puta mortẽ, paupertatẽ &c. aut  
si intendit vitare mortalia supra omne vitabile: puta  
direptionem occisionẽ, &c. multos enim huiusmodi  
interrogatio induceret in tentationem. Sed si dubi-  
cat rationabiliter de tenui displicentia vel proposito  
vitandi,

vitandi, declaret sibi quid importat peccatum mortale, refutare Deum pro ultimo fine quod quantum ad factum, licet non quantum ad affectum, perinde est, ut refutate Deum pro Deo, ac proinde videat quod si dixisset Regi, Nolo te in Regem, quantum esset dolendum & cauendum si semel impetraret veniam, & quam fortiter & firmiter proponeret se omnem suam diligentiam adhibiturum, ut in futurum non incideret in tantum excessum, ita in proposito compareat coram Deo petendo veniam, dolendo quod toties Deum refutauit pro ultimo fine, ac pro Deo (quia ex sua deitate est ultimus finis omnium & ciuium celestium) & proponat non se facturum similem iniuriam Deo. Et hortetur eum ad amorem Dei super omnia, & quod ex amore huiusmodi debeat dolere de præterito, & proponere vitiationem de futuro, scriptum est enim quod charitas operit multitudinem peccatorum. Et sic accendet cor poenitentis, & non ponet in periculum tentationis. In quarto gradu sunt confitentes cum attritione sola: quia eorum contritio incerta est, quibus scilicet displicent peccata præterita, & vellent vitare futura peccata, sed in veritate hoc non volunt, habent siquidem velleitatem vitandi futura, sed non habent voluntatem deliberatam ad vitandum futura peccata. Tales sunt usurarii, aut aliàs tenentes alienum, qui nolunt restituere, & similiter omnes in concubinato existentes: & piratæ qui nolunt statum illum deserere, & vniuersaliter qui non sunt parati intentione & proposito verè deliberato deserere peccare mortaliter. Horum confessio admittitur ab Ecclesia, sed non ad absolutionem, tales enim non sunt absoluedi: ut patet extrà de Poenit. & remis. c. quòd quidam, sed sunt crebris & salubribus monitis ad poenitentiam veram inducèdi. Tertiadecima, accelerata: hoc est post com-

missum

missum mortale non dilata, si commoditas confitendi adest. Et sic intellecta, hæc conditio, quantum ad executionem confessionis, consilii est, non præcepti, quantum autem ad propositum confitendi, periculi est, ne subito præoccupatus morte non habeat spatium poenitendi. Et quantum ad vitationem huius periculi, seu quantum ad recessum à statu peccati mortalis: tenetur homo statim habere propositum confitendi: non autem quantum ad vitandum novum peccatum mortale: hoc est, si homo vult assequi recessum à peccato mortali, & à periculo moriendi sine poenitentia, tenetur necessario ad statim habendum propositum confitendi, &c. si tamen post commissum mortale hoc non proponit, non propterea peccat de nouo mortaliter. Et ratio dictorum est quia præceptum tam de confessione quam de illius proposito, est Præceptum affirmatiuum: præcepta autem affirmatiua obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore hoc est tempore necessitatis. Et propterea si articulus necessitatis non occurrit, sufficit ad salutem semel in anno confiteri, iuxta Ecclesiæ determinationem: ita quod nunquam cõtemnat confiteri, proponat autem quando necessitas exiget, hoc est quando tenetur confiteri. De quo vide infra de contritionis tempore.

Tempus autem necessitatis respectu actualis confessionis nescio aliud quam tempus periculi mortis ex diuino iure, & semel in anno ex determinatione Ecclesiæ. Ad ministrandum autem sacramenta sine nouo peccato mortali, eademque suscipienda, & alia eiusmodi quæ mundam exigunt conscientiam, contritionem sufficere constat, dicente Apostolo de summo sacramento, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & nullo diuini aut humani iuris vinculo ad confessionem cogente sub præcepto peccati



eati mortalis apparente. Quartadecima, fortis: hoc  
 est superans timorem retrahentem à confitendo &  
 explicando peccata. Et licet timor debeat ita supera-  
 ri, vt poenitens audeat per semetipsum peccata sua  
 dicere: si tamé fortitudo tanta est, vt vel per semetip-  
 sum dicendo, vel interroganti confessori responden-  
 do, omnia confiteri deliberet, & opere compleat, suf-  
 ficiens fortitudo est: quia timor non dominatur in  
 animo ad dimidiandam confessionem. Et licet per-  
 sona aliqua nunquam auderet dicere aliqua peccata,  
 nisi interrogata: ex quo tamen intendit, non comple-  
 re confessionem nisi explicatis omnibus, & tantum  
 facere, vt interrogetur: ita & taliter quòd dicit om-  
 nia, sufficienter fortis est vt mulier. Si autem potius  
 sacrilegium dimidiæ confessionis mauult incurrere,  
 quàm explicare peccata, quia confessor absque inter-  
 rogatione de illis concludit confessionem & absolu-  
 tionem impendit, æternæ damnationis mortem in-  
 currit ex sua timiditate. Quintadecima, accusans:  
 hoc est sibi ipsi imputans peccata, non cœlo, non dia-  
 bolo, non mûdo, non carni, non sociis, non cõplexio-  
 ni, &c. Similiter accusans se, non excusans, nam cir-  
 cunstancias aggrauantes debet explicare: excusantes  
 autem debet tacere, imperfectionis siquidem est has  
 deferre: criminis autem non parui est, reiicere iniqui-  
 tatem suam in alias causas. Sextadecima ac vltima est  
 parere parata: hoc est quod poenitens sit paratus ad  
 satisfactionem pro peccatis suis debitam iuxta arbi-  
 trium confessoris, alioquin sacramentum poenitentia  
 imperfectum esset, carens tertia sui parte, quæ est sa-  
 tisfactio. Intellige autem hanc conditionem apposi-  
 tam secundum communem poenitentium cursum,  
 communiter enim confitentes de mortalibus, veniunt  
 non vt qui satisfecerint, sed satisfacturi de suis pecca-  
 tis. Si constaret enim aliquem satisfecisse, sufficeret ei  
 quòd

quòd secundum preparationem animi esset sic dispositus, quod est parere paratus, si debet satisfacere, & hoc includitur in hoc quòd dicitur parere paratus ad satisfactionē debitam. Si quis autem tam parum dispositus est ad poenitentiam, ut nullam velit acceptare à se agendam in hac vita satisfactionem, sed absolui petit remittendus ad poenam purgatorii, absolui potest, tanquam parere paratus per satisfactionem purgatorii, ne desperatus, in infernum se precipitet, à quo non multum distare videtur, qui in huiusmodi pertinacia persistit. Et tunc confessor absolueret à peccatis, & nō ligaret ad poenam, sed ligatum ad poenam relinqueret foro acerrimo diuinæ iustitiæ puniendum temporaliter. Nec sacramentum poenitiæ esset omnino perfectum secundum suæ materiæ partes integrales: quia sacramenta omnia ad præsentem vitam spectant, in qua satisfactio valde manca esset. Hic tamen defectus non annullaret sacramentum: quia essentialia saluarentur.

*Confessio sacramentalis multis de causis tam ex parte confessoris, quam ex parte confessi venit iteranda.*

**C**onfessio iteranda considerari debet vel ex parte poenitentis, vel ex parte confessoris. Et quia in consistente quatuor inueniuntur (scilicet contritio, confessio, satisfactio, &abilitas ad sacramentum) ideo sigillatim pertransire hæc oportet, ut clarius sit doctrina.

Contritio igitur ex duobus integratur, scilicet ex displicentia præteritorum, & proposito vitandi futura. Si totaliter deficeret cōtritio, esset sine dubio iteranda confessio: quia nec confessio esset, sed confessionis simulatio, ubi totaliter contritio deficeret. Impossibile siquidem est, ut confiteatur quis sine aliqua displicentia